

Keine 250 (1-14)



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
MORBORVM SIMILITVDINE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
P R A E S I D E

PRORECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO
D. ANDREA ELIA BÛCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. VIII. IVL. ANNI MDCCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

CONRADVS HENRICVS IHLE
FRISO-ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM
STANNO CVRTIANO.



DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

MORBORVM SIMILITVDINE

AVAM

DIVINI NVMINI AVSUSIBUS

CONSENSU GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

PRÆSIDI

PROFESSORE PUBLICO ET MATHMATICO

D. ANTONIO ELLA BACHNERO

PHYSICVM ET MATHMATICVM

POTENTISSIMI PRÆSIDI AVSUSIBUS

PROFESSORIS PUBLICI ET MATHMATICI

PHYSICVM ET MATHMATICVM

PHYSICVM ET MATHMATICVM

PHYSICVM ET MATHMATICVM

PHYSICVM ET MATHMATICVM

THEO. GRADV DOCTORIS

AVAM IN MEDICINA PUBLICE ET MATHMATICE

DOCTORIS PUBLICI

PHYSICVM ET MATHMATICVM

PHYSICVM ET MATHMATICVM

PHYSICVM ET MATHMATICVM

CONRADO HENRICH'S HERR

AVAM

PHYSICVM ET MATHMATICVM



ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO
DOMINO
LIBERO BARONI
DE HANE
DOMINO
DE LEER ET DE LANDEGGE
PRAEFECTO SVPREMO ET ADMINISTRATORI
COLLEGII PROVINCIALIS
FRISIAE ORIENTALIS

MAECENATI,
PATRONO ATQVE FAVTORI
DEVOTISSIMA MENTIS VENERATIONE
PROSEQVENDO,



HANCCE

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

STVDIORVM ACADEMICORVM SPECIMEN QVALECVNQVE

CVM VOTO

OMNIGENAE ET PERPETVAE PROSPERITATIS

EA QVA DECET

VENERATIONE ET OBSERVANTIA

SACRAM ESSE VOLVIT

A V T O R .





§. I.

Medici officium est, sanitatem corporis humani vt conferuet praesentem, restituat amissam. Amissam vero corporis humani sanitatem restituere, morbum curare dicimus. Hunc autem cito, tuto et iucunde curare iubet HIPPOCRATES, primum fere ac primum artis medicae decus, iubet ratio. In hoc vero Medici officio rite adimplendo quot quantaeque ipsi, et prudentissimo, occurrant difficultates, quemuis, vel mediocriter tantum in scientia medica versatum, latere haud poterit. Inter has, attente singulas consideranti, enormis illa et praeter necessitatem aucta morborum pariter ac remediorum copia primum locum obtinere mihi visa est. Intellectus enim noster ita quum sit constitutus, vt pauciora quaeuis maiori cum facilitate comprehendat; vasta autem magis et prolixiora difficilius multo disquirat et perspiciat, hunc, numerum illorum in arctius cogendo, subleuari, magni intererit. De priori illo Medici requisito impaesentiarum nobis erit sermo.

mo: prudentis scilicet esse Medici, morbos corporis humani breuissima via, methodo maxime compendiosa sanare. Quod ut fieri queat, praeter remediorum, efficacissimorum quidem, sed ad simplicissimam simul paucitatem redactorum cognitionem, *similitudinis morborum* notitia requiritur. Haec enim cum doceat, quaenam morborum, a se inuicem alias diuersorum, praedicata, et in quantum conueniant, viam ad breuissimam morbos sanandi methodum pandit.

§. II.

At enim vero, cum de hac materia dicendi tam spatiosus sit campus, in quem ut excurrat, qui illi, qua digna est, et quam requirit, eruditioni par est, arti salutari quam maxime interesse scio, et hoc opus ut in se suscipiat, vehementer opto, conuictus, illum de hac deque vniuerso simul genere humano, quibuscunque morbis obnoxio, optime mereri, qui maxime compendiarum, ambages euitando, in his curandis viam sternit: ego tantum specimina huius rei et exempla quaedam suppeditabo; exactiorem enim illius tractationem non capiunt pagellae, scripto academico dicatae. Considerabimus ergo §. sequenti

§. III.

Morbos solidorum simplicissimos. Cum gradus cohaesionis generatim sit id, quo solida a fluidis differunt, solidorum morbi pro diuersitate laesae cohaesionis et potentiarum hinc mutatarum dispesci possunt. Harum prima, quae *vis* dicitur *cohaerentiae*, vel nimium augetur, ut in rigiditate id euenit, vel nimium imminuitur, ut in laxitate et teneritudine, vel denique plane tollitur, in solutione continui. Altera, *irritabilitas* nempe, vel nimium augetur, vnde spasmi oriuntur; nimium imminuitur, vnde

vnde paralyfes nascuntur; alienatur, i. e. non adfcitur a ftimulis ita, vt fieri deberet in ftatu fanitatis, licet proprie nec aucta, nec imminuta dici queat, v. g. in hypochondriacis, in quibus faepe fieri folet, vt cibos folidiores bene, teneriores male ferant. Tertia denique, *fenfilitatis* nomine nota, paribus cum praecedente obnoxia eft mutationibus, dum fcilicet vel nimium intenditur, cui dolor et pruritus ortum debent; vel nimium immittitur, vnde torpor fenfilitatis et infenfilitas; vel alienatur, hinc alienata fenfilitas, ifta fcilicet, quae a fanitatis legibus aberrat: exemplo fint morbi, grauidis, puellis male menftruatis familiares, malaciae et piccae nomine noti.

§. IV.

Praediæti morbi multum a fe inuicem diuerfi effe videntur, neque vere diuerfos effe negari potest: hanc vero differentiam non tantam effe, quanta primo intuitu speciem prae fe ferunt, quum de morborum fimilitudine agere promiferimus, iam noftrum erit paulo prolixius oftendere.

§. V.

Morbos itaque solidorum simpliciffimos, §. III. enumeratos pertraæanti, primo loco occurrit *rigiditas*, fue illa fibrae conftitutio, qua ob minimarum partium nimis validam cohaefionem illi fluidorum actioni non cedit, quae in ftatu fanitatis hanc fuperare debet refiftentiam. Haec fimilis deprehenditur, quoad nonnulla praedicata, primo, *laxitati*; in vtroque enim morbo adest denfitas fluidorum. Rigida fibrae vaforum conftitutio impedit, quominus fluidis ipfa diffidentibus fatis cedant, et elasticitate fua iterum acqumfita in fluida reagant, hacque actione debitam ipfis fluiditatem conciliant. Laxitas fibrarum vafa conftruentium ni-

miam

miam a fluidis dilatationem admittit, at ob imminutam se contrahendi potentiam non fit reactio sufficiens, hinc languet necessaria sanguinis resolutio et oritur spissitudo. Adhuc porro in utroque morbo motus fluidorum languidus, tam ab ipsa spissitudine, quam imminuta vasorum actione pendens, torpor, stases, obstructions. Rigiditas secundo, similis est *spasmo*; contractio enim validior in utroque morbo obtinet. Conuenit tertio, *torpori*, tum irritabilitatis, tum sensilitatis: vitia enim harum potentialium, motus fluidorum languidus et eius sequelae, utrumque morbum comitantur. Cordis namque et arteriarum debita sensilitas et irritabilitas quantum ad sanguinis circulum rite promouendum conferant, nemo non nouit; his igitur imminutis, ille ut languet oportet. Vasorum autem rigiditas efficit, ut nec dilatentur satis, nec contrahantur postea; sed contractio arteriarum praecipua causa est, quae sanguinis motum per uasa producit.

§. VI.

Pertractata §. anteced. rigiditate, iam ad solidorum vitium huic oppositum, *laxitatem* accedamus; et quibus aliis solidorum morbis consentanea sit, paucis ostendamus. Laxitas est illa minimarum particularum, fibrarum constituentium, conditio, qua, ob minorem inter se inuicem cohaesionem, vi minori ultra modum se extendi aut dilatari patitur. Haec quodammodo similis est primo, *teneritudini*, quae structuram fibrae supponit, qua, quia iusto exilior est, distracta, citius, quam par est, rumpitur. Imminuta itaque cohaesio in utroque morbo locum habet, hac tantum posita differentia; ut, quod laxum vocatur, distensionem admittat, quod tenerum, minus. Respondet secundo, *imminutae sensilitati et irritabilitati*; hae namque potentiae, a quacumque demum causa imminutae, efficiunt, ut naturalis stimulus

lus aut nullum, aut minorem, grauior vero vix naturalem producat sensationem. Idem obseruamus in laxitate, in qua, ob elementorum, solidorum basin constituentium, contactum iusto minorem nec sat arctum, fibrae contractio irritationi a stimulo productae non respondet; ab horum enim numero et proximitate illa fibrae vis dependet, qua contrahitur.

§. VII.

Teneritudo solidorum quid sit, §. anteced. monstrauiamus. Haec quam maxime ad auctam et alienatam sensilitatem accedit, quum nunquam sine his vitis adesse deprehendatur. Quodcunque enim tenerum ad maiores, eosque haud raro irregulares motus suscipiendos pronum est. Quid? quod auctae sensilitatis praecipua causa fibrillarum musculosarum et neruearum est teneritudo.

§. VIII.

Minimarum partium, fibram construentium, cohaesio plane sublata, dicitur *continui solutio*. Haec ad laxitatem et teneritudinem proxime accedit. In his qualis fibrarum elementorum adunatio obtineat, §. VI. indicatum fuit. Poterit hinc facili negotio intelligi, quod solutio continui non nisi maior imminutae cohaesionis sit gradus. Nonnunquam etiam rigiditati est similis, quando latera solutae partis callosa, rigida euadunt.

§. IX.

Spasmus est contractio fibrarum muscularium iusto validior, inuita, ab irritabilitate pendens. Conuenit hic cum *dolore*. Supponit namque spasmus motum fibrarum muscularium naturali maiorem,

B

iorem,

iolem, is autem ipse motus enormis in fibris nerveis dolorem producit. Hic exinde, quum sensilitatem, ille vero irritabilitatem magis respiciat, harum autem in viuo corpore humano tam indiuisus occurrat nexus, vt, quae vnam mutat adfectio morbosa, vt et alteram simul alteret necesse sit, quantum inter se conueniant dilucide apparet.

§. X.

Pruritus dicitur illa fibrae nerveae tensio aut vellicatio, quae, licet sit naturali maior, attamen ad dolorem producendum non sufficit. Differt igitur vterque adfectus eodem, quo differunt modo solutio continui et teneritudo (§. VIII.), hoc est gradu tantum.

§. XI.

Alienatam denique *sensilitatem* et *irritabilitatem* considerantes, hanc in eo positam deprehendimus, vt stimulus fibram irritans, cuius semper sub statu sanitatis actioni ipsius proportionata obseruatur contractio, illos, quos hic status requirit, motus non producat. Conferantur hic exempla §. III. ad hunc vltimum solidorum morbum illustrandum adducta: quorum prius, de hypochondriacis nempe, qui cibos solidiores saepe bene, teneriores male ferunt, irritabilitatem alienatam ad imminutam hanc potentiam accedere probat: posterius, de grauidis et puellis menses vitio laborantibus, quae absurda haud raro minusque consueta vehementi cum desiderio adpetunt, sensilitatem alienatam ad eandem auctam accedere indicat.

§. XII.

§. XII.

Quibus solidae corporis humani partes obnoxiae sint mutationibus morbofis, et quanam ac quanta inter ipsas occurrat convenientia, §§. antecedentibus palam factum fuit. Eandem et in *morbis fluidorum simplicissimis* deprehendi, paucis iam demonstrare mihi liceat. Hi vero ad *vitia copiae, qualitatis et motus* reduci possunt. *Copia fluidorum* vel in *excessu* peccat, vel in *defectu*. Prior status dicitur *plenitudo*, posterior *exinanitio*. *Qualitas humorum* quintuplicem admittit mutationem morbosam, *spissitudinem*, si illam fluidorum mixtionem, qua fit, vt partes ipsorum constitutivae ita inter se cohaereant, vt maior vis ad illas a se inuicem separandas requiratur, quam quae in statu sanitatis desideratur; *serositatem*, vbi serum in mixtione abundat; *tenuitatem*, in qua ob acre immixtum particulae elementares resoluuntur, attenuantur; *rarefactionem*, quae humorum expansionem ponit, v. g. a calore, spirituosis, etc. et tandem *acrevium*, mixtionem illorum vario modo perturbans. *Motus* demum *fluidorum* in statu praeternaturali vel languet, vel excedit, vel abnormis fit, vt v. g. in errore loci.

§. XIII.

Atque in his quoque morbis vel inter se, vel cum solidorum vitiosis qualitatibus comparatis, similitudo detegi potest, quam nunc paucis ostendere aggrediar. Primum humorum vitium, quod quantitatem respicit, *plenitudo* scilicet, §. anteced. descripta, accedit primo ad *exinanitionem*, vitium ipsi oppositum; in utroque enim morbofo statu obseruantur phaenomena languidi motus, spasmi, insensibilitatis, lipothymiae. Nimum quantum aucta humorum moles cordis et arteriarum actioni, qua mediante sanguinis circulus absoluitur, plus resistit, quam quod

ipsarum vires ac robur ferre possunt; distenduntur itaque, debilitantur, hinc languet fluidorum motus. Aucta humorum mole augetur vis, hinc congestiones versus loca debiliora et, ob vasorum expansionem, irritatio maior, adeoque spasmi. Ab expansis vasis nerui comprimuntur, hinc phaenomena insensibilitatis, torpor, somnolentia, adfectus paralytici, etc. Nimis auctam humorum molem cordis et arteriarum vires imminuere diximus: sed nimis imminutus cordis motus lipothymiae est causa. Quomodo exinanitio (§. anteced.) eosdem, quos plenitudo, morbos producat, breuiter nunc exponam. Languidum humorum motum ipsam habere comitem, facile intelligitur, si perpendimus, debitam ab irruente sanguine cordis et arteriarum distensionem contractionis subsequens, hincque pendens circuli sanguinis causam esse primariam, hanc autem distensionem, humoribus deficientibus, fieri non posse. Et spasmos producit exinanitio; debilitatem enim infert, partim ob imminutam fluidi nerui secretionem, partim ob denegarum liberum sanguinis ad musculos adfluxum; haec autem debilitas, quum semper maiori cum sensilitate coniuncta deprehendatur, stagnans ab impulsu cordis et arteriarum debili sanguis magis irritat musculos, et eorundem efficit fortiores contractiones inuoluntarias, spasmos. Quam languidi motus fluidorum causam adduximus, eadem et de lipothymiis valet; dum enim sanguis in exinanitione non sufficienter in cor agit, vt id ipsum minus reagat oportet; nimis autem imminutae cordis actioni lipothymiae ortum debent. Plenitudo secundo, accedit ad *fluidorum vitiosas qualitates*; effectus enim varii a spissitudine, serositate, et non minus a plenitudine produci possunt. *Spissa* humorum *qualitas* lentum inducit motum, torporem, stases, obstructions, etc. Eosdem adfectus et ex plenitudine oriri, supra monstrauimus. *Serositatem* vero, dum solida debilitat, pares cum spissitudine ac plenitudine mor-

bos



hos producere posse, facile intelligitur. Humorū abundantia seu plenitudo accedit tertio, ad *vitiā motus*. Phaenomena enim languentis, excedentis et alienati motus a plenitudine non minus producentur. De languente motu ex plenitudine iam diximus. Sed et excedenti causam praebet; fluida enim, aucta mole, hinc etiam vi et particularum phlogisticarum copia, cor et arterias fortius dum irritant, ad maiorem contractionem sollicitant, quae fluidorum motum accelerare et simul errori loci ansam dare potest. Plenitudo quarto, similis est *rigiditati*; vterque enim morbus languidum fluidorum motum habet comitem: motus siquidem fluidorum debitus debitaē solidorum in ipsa actioni debetur, quae in viroque, vt iam demonstraui, deest. Quinto, et *laxitati ac teneritudini* consentanea est; non solum enim, pro natura plenitudinis diuersa, ipsi modo laxitas, modo teneritudo accedit, sed dantur etiam phaenomena vtrique morbo propria, v. g. languidus motus, torpor, orgasmus, etc. Porro sexto, ad *solutionem continuū* accedit plenitudo; solidorum namque extensionem efficit, quae gradu tantum a solutione continuū recedit. Denique septimo, cum *vitiis sensilitatis et irritabilitatis* conuenit; plenitudo namque non solum cum his vitiis coniuncta existit, siquidem si ita comparata fuerit, vt aqueum in mixtione abundet, vt in phlegmaticis id euenit, tunc cum sensilitate et irritabilitate imminuta, atque e contrario, si cruor abundet, vt in sanguineis, tunc cum auctis iisdem vnita deprehenditur; sed insuper quoque torpor, spasmi, etc. plenitudinem immediate sequuntur.

§. XIV.

Deficientem humorum copiam, siue *exinanitionem*, cum variis fluidorum ac solidorum morbis maximam alere similitudinem, phaenomena tum his, tum illi propria comparando, paucis euincam. Exinanitio itaque responderet plenitudini, quod ex-

effectibus nonnullis, vtrumque statum morbosum qui comitantur, §. anteced. inter se collatis, dilucide apparet. Similis etiam est spissitudini, cuius phaenomena, languidum fluidorum motum, torporem, stases, obstructiones, ab exinanitione etiam produci posse, nemo dubitabit. Effectus autem spissitudinis modo recensitos, *serositati* quoque communes esse, §. anteced. dictum est, hinc exinanitionem serositati etiam similem videmus. Ad solidorum morbos quod attinet, si rigiditatis, laxitatis, imminutae sensilitatis et irritabilitatis effectus in prioribus adductos cum iis, quos modo ex deficiente humorum copia oriri posse diximus, conferuntur, eosdem esse videmus, adeoque similitudo, quae vnum alterumque statum morbosum intercedit, detegitur.

§. XV.

Spissitudinis humorum variae dantur species, praecipue tamen reduci possunt ad spissitudinem strictius ita dictam, quae ponit abundantiam particularum terrearum siue absolutam, siue relatiuam; ad mucositatem siue glutinositatem, ex mucii copia oriundam, et ad diathesin inflammatoriam, siue illam fluidorum densitatem, quae in morbis inflammatoriis apparet. Phaenomena singulis propria, languidus humorum motus, stagnationes, stases, etc. conuenientiam inter ipsas docent. Sed accedit quoque spissitudo ad alios solidorum et fluidorum morbos. Ad solidorum rigiditatem, laxitatem, imminutam sensilitatem et irritabilitatem; ad fluidorum plenitudinem, exinanitionem, serositatem. Ex singulorum morborum effectibus, in prioribus iam adductis, similitudo ipsorum innotescit.

§. XVI.

Morbosa humorum qualitas spissitudini opposita, *nimia* nempe *fluiditas*, in serositatem, tenuitatem et rarefactionem dispescitur, quarum notio §. XII. suppeditata est. Harum inter se

se conuenientia vel ex eo patet, quod singulae iusto minorem particularum cohaesionem ponant. Sed similis quoque est aliis, tam solidorum, quam fluidorum morbis. Accedit ferofitas ad laxitatem, hanc enim inducit; ad fenfilitatem et irritabilitatem imminutam, vt videmus in phlegmaticis; ad rigiditatem, plenitudinem, exinanitionem et spiffitudinem; dum enim debilitando solidorum in fluida actionem imminuit, lentum illorum motum, torporem, ftases, ftagnationes inducit, modos nempe diſtis morbis communes. Tenuitas fimilis deprehenditur acrimoniae, hanc namque ſupponit, ſolidorum laxitati, teneritudini, auctae fenfilitati et irritabilitati, motui denique fluidorum aucto et abnormi. Rarefactio cum iisdem fere, vt et plenitudine conſentit.

§. XVII.

Variae acrimoniarum ſpecies, vario modo naturalem humorum craſin perturbantes, in hoc ſaltim inter ſe conueniunt, quod ſingulae ſoluendo, rodendo, pungendo, irritando agant. Simul autem ad varias quoque ſolidorum et fluidorum morboſas adfectiones accedunt; ad ſolidorum laxitatem, teneritudinem, continui ſolutionem, auctam, imminutam, et alienatam fenſibilitatem et irritabilitatem; ad humorum plenitudinem, exinanitionem, ſpiffitudinem, ferofitatem et tenuitatem; ad motum ipſorum auctum, imminutum, et abnormem. De hiſce omnibus conuenientiae modum indicare, anguſti Diſſertatiunculae limites non permittunt.

§. XVIII.

Inter morboſas fluidorum adfectiones *motus* ipſorum *praeternaturalis* vltimum hic occupat locum. Duplici modo hunc in ſanitatis detrimentum mutari poſſe diximus; vel enim
magis

magis est *imminutus*, vel magis *auctus*, vel denique *abnormis* seu alienatus. De priori primo agemus, de *imminuto* scilicet *motu*. Hic passim producit effectus rigiditatis et laxitatis, e. g. stases etc.; teneritudinis, dum stagnantes humores, vasa distendendo, hanc ipsam creant; torpentis, auctae et alienatae sensibilitatis: priorem cum imminuto motu iunctam esse, ex ante dictis constat; quomodo autem auctae sensibilitatis effectus producat, ex iis, quae de teneritudine diximus, patet. Quod ad alienatam attinet, hanc hypochondriacorum et hysteriarum exempla declarant, in quibus spissus sanguis, eiusque ideo lentus motus, saepe saepius obtinet. Effectus porro producit plenitudinis, exinanitionis, spissitudinis, tenuitatis et acrimoniae, ac tandem motus humorum tam aucti, quam alienati.

§. XIX.

Motus humorum auctus, qui modo celeritatem solum, modo vehementiam auctam ponit, similis est auctae irritabilitati, cum nunquam sine spasmo cordis et arteriarum existat; auctae sensibilitati, cum similia in utroque morbo eueniant phaenomena, v. g. deliria, etc.; motui denique alienato, cum congestiones, errores loci, inferat. *Motum* autem fluidorum *alienatum* multis quoque aliis morbis consentaneum videmus. Accedit ad motum humorum lentum et auctum eundem, ad plenitudinem, ferositatem, rarefactionem, ad solidorum laxitatem et teneritudinem, ad auctam et imminutam sensibilitatem et irritabilitatem. Similitudo ex huc vsque dictis haud diffculter perspicitur.

§. XX.

Consideratis heu vsque morbis tam solidorum, quam fluidorum simplicibus, vt, quae de eorum similitudine dicta sunt, luce fulgeant maiori, non incongruum mihi esse videtur, si *morborum*

borum compositorum, qui ad se inuicem accedunt, nonnulla proferam specimina. Considerari hic maxime merentur *intermittentes febres*, quae, primo, quotquot sunt, sibi sunt similes, cum obseruatio doceat, omnes causas, quae vnā speciem producunt, animi scilicet pathemata, materiam putridam, acrem variam et multiplicem, viscidam vel primis viis, vel massae sanguineae inexistentem, alteram etiam producere posse. Secundo similes sunt febribus reliquis, tam continuis, quam continentibus: Saepe enim febres intermittentes febrium inflammatoriarum, exanthematicarum, continentium, biliosarumque naturam induunt. Tertio, cum omnibus morbis, ex irritato genere neruoso oriundis, conueniunt febres intermittentes: docent namque obseruationes, ipsas, praecipue malignas, apoplexia, sopore multiplici, syncope, suffocatione, deliriis, conuulsionibus, tetano, debilitate insigni, inflammatione impetuosa, dolore enormi, exanthematibus malignis, dysenteria, diarrhoea aut putrida, aut copiosa, tussi ferina, saluatione debilitante, etc. siue solis, siue pluribus coniunctis, saepe stipari, subque earum, aliarumque aegritudinum forma mortales adfligere, vel in ipsas illas quoque transire.

§. XXI.

Neque miranda haec similitudo, cum proxima febrium intermittentium causa in determinata maiori generis neruosi irritatione poni posse videatur: hanc autem veram harum febrium esse causam, probant animi pathemata, quae sola, teste experientia, illas produxisse nouimus; curatio, dum remedia, quae in neruos effectum suum exerunt, specificè hic agunt, v. g. opiata, cortex Peruvianus, etc.; subiecta, dum quo magis sensibilia, eo magis ad hasce febres sunt prona; febres topicae, in quibus irritatio maior in parte quadam obseruatur; reditus paroxysmorum,

C

qui



neruorum adfectum denotant; morbi neruorum ab illis tam sanati, quam producti; remedia denique, quibus febris suppressa reuocatur, v. g. purgantia, quae non nisi neruos irritando agunt. Morborum itaque §. anteced. enumeratorum causa quum itidem in neruis irritatis lateat, similitudo, quae illos inter et febres intermittentes obtinet, facile intelligitur.

§. XXII.

Febres exanthematicae cum inflammatoriis et catarrhalibus magnam habent similitudinem. Exanthematicae acre quoddam supponunt, quod, vehementius irritando, vasorum actionem adeo intendere valet, vt sanguini diathesis inflammatoria, febribus inflammatoriis propria, concilietur. Hac iam praesente, spasmi, ab acri miasmate itidem pendentes, eo facilius congestiones, stagnationes, stases et denique inflammationes producent. Status quoque inflammatorius cum exanthematicis febribus saepissime iungitur; in variolis v. g. febris secundaria, suppurationi superueniens, vera est inflammatoria; plurenitis quoque inter periculosissima huius morbi symptomata numeratur. Morbillis pleuritis vel peripneumonia; purpurae apthoideae faucium inflammationes haud raro accedunt. Sed et inflammatoriae febres critice nonnunquam per exanthemata soluntur. Febres exanthematicas cum catarrhalibus conuenire, ex miasmatis vtriusque similitudine patet: hanc vero probat symptomatum conuenientia. In catarrhalibus acre miasma maxime loca ferosa petit; hinc variae adfectiones pectoris et faucium, tussis, defluxiones feri acris ex oculis et naribus. Iisdem fere pleraeque exanthematicarum febrium stipantur symptomatibus, purpurea imprimis, scarlatina et morbillosa. Catarrhales quoque febres versus vesperam plerumque inuadunt et exacerbantur: idem vero in exanthematicis quoque obseruatur. Sed et crises, morbos hosce soluentes, similitu-

litudinem inter ipsos confirmant; singulos enim per sudores et diarrhoeas terminari posse, ex Pathologia constat.

§. XXIII.

Neque minorem *febres inflammatorias* inter ac *continentes* similitudinem deprehendimus. Continentes causam proximam agnoscunt plethoram commotam, cum maiori aut minori diathesi inflammatoria coniunctam. Eadem etiam inflammatariorum est causa. Subiecta ad utrasque procliua sunt plethorici, sanguinei et cholericus, qui ob sensilitatem; qua gaudent, maiorem, maioremque phlogisti, sanguini immixti, copiam, facillime in orgasmos incidunt. Symptomata itidem vna fere sunt eademque, v. g. respiratio difficilis, cordis palpitationes, congestiones versus caput, indeque pendentes effectus, agrypnia, dolores, tinnitus aurium, deliria, etc. Crises in utroque morbo fiunt potissimum per haemorrhagias et sudores, et nonnunquam per exanthemata. Insuper etiam exinde adparet conuenientia, quod febres inflammatoriae primis diebus, augete adhuc inflammatione, vere sint continentis.

§. XXIV.

Febribus §. anteced. consideratis similes sunt *haemorrhagiae spontaneae*. Causam, quae priores producit, plethoram scilicet commotam, haemorrhagias hasce quoque producere posse, de hoc nemo dubitabit. Haec enim ipsa haemorrhagiarum spontanearum causas, nimiam nempe vasorum dilatationem, continui ipsorum solutionem, et nimiam sanguinis fluiditatem, determinare valet. Subiecta ad utrumque morbum disposita eadem gaudent conditione, plerumque etiam hae febres per haemorrhagias critice soluntur.

C 2

§. XXV.



§. XXV.

Quod denique huius Differtatiunculae scopum atinet, non vanam esse et inutilem de *morborum similitudine* doctrinam, et tam pathologiae imprimis, quam etiam therapiae non contemnendam adferre vtilitatem, paucissimis adhuc verbis ostendam. Adiuuat primo, morborum diuisiones; rite namque perspecta, quae illos intercedit, conuenientia, hos ipsos rectius in classes, easque pauciores, dispesci posse, facile intelligitur. Secundo, methodo medendi, vtilissimae scientiae medicae parti, quam maxime inferuit; similibus etenim morbis similia opponi debere remedia, necessum est. Cognita itaque morborum similitudo ad breuissimam illos sanandi methodum viam pandit. Attamen probe hic notandum, essentialem morborum conuenientiam in curatione attendendam esse, cum, quae alias inter ipsos obtinet, methodum diuersam exigat; symptomata namque accidentaliter superuenientia, in morbis et causa et indole diuersis eadem saepe esse, nouimus: si vero eiusmodi conuenientiae medendi methodum superstruere velles, rationalis Medici officio pessime satisfaceret.

T A N T V M.

VIRO
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE,
DOMINO
C A N D I D A T O,
AMICO OPTIMO,
S. D. P.
IOANN. GEORG. FRIDERICVS BÜCHNER,
FHVRINGVS. OPPONENS.

*A*dmitte, Amicorum flos selectissime, ut paucis meam erga
TE obseruantiam ac amicitiam TIBI declarem. Iubet enim in-
tima illa coniunctio, quam ante biennium nacti sumus, de amici
perfectionibus hodie laetari. Facio id non ex consuetudine, aut
more aliorum recepto, sed virtutum TVARVM dotibus instin-

C 3

etus;



ctus; *sue enim mores TVOS spectem, sue indefessam in addif-
cenda arte salutaris diligentiam, sue alias virtutes, digniorem
TE hocce praenio, quo ars salutaris TE coronabit, reperio ne-
minem. Gratulor itaque TIBI de egregie acquisita scientia.
Gratulor patriae de Medico, bene erudito. Gratulor aegris,
qui curae TVAE se committent, quod probum inuenient Medi-
cum. Gratulor et mihi de amico sincerimo. Abi felix in pa-
triam, eat TECVM virtus indiuiduo passu, et quem nacti su-
mus amorem, aeternitas communicet. Vale, et mihi sem-
per faue! Dabam Halae, d. vi. Iulii,*

MDCCLXVIII.



VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
MEDICINAE DOCTORANDO,

AMICO AESTVMATISSIMO,

S. P. D.

IOANNES AVGVSTVS WALDT,

HALENS.

MED. CVLT. OPPON.

Si vnquam de amicitia, quam mecum iniisti, dubitare potuissem, per-
amica TVA ad dissentientis munus contra Dissertationem TVAM eru-
ditissime elaboratam, quam propediem, Doctoris honores adspirans,
publice defendendam in te suscepisti, obeundum, omnem mihi
scrupulum adimeret. Ingratus itaque, TVAQUE amicitia indignus vi-
deri possem, si festivo hocce die, quo eruditionis, labore, assidui-
tate ac indefessa diligentia comparatae, praemia reportabis, eorum,
qui TIBI applaudunt beneque cupiunt, numero non accederem. Sum-
mos idcirco, quos Medicina largitur honores, iam iam in TE con-
ferendos, ex animo TIBI gratulor, iunctis insimul votis sincerimis,
vt saluus in patriam redux per longam annorum seriem parta TVA
scientia in TVI ipsius commodum, in splendidissimae TVAE fami-
liae decus et ornamentum, in multorum aegrotantium, qui curae
TVAE se committent, solatium atque auxilium, quam felicissime fruoris.

Me vero ita, sicuti praesentem amasti, vt et absentem ames, rogo.

Vale! Dabam Halae d. vi. Iulii MDCCLXVIII.



VIRO
DOCTISSIMO ATQVE CLARISSIMO
DOMINO
MEDICINAE CANDIDATO
AMICO SVAVISSIMO

S. P. D.

FRIDERICVS WILH. LVDOV. GERSTEIN,

RHEDA-GVESTPHALVS, I. V. CVLT.


Si vere dixit QVINTILIANVS, pectus esse, quod faciat disertos, qui validius TIBI optaret, qui impensius de TE gauderet, qui verius TIBI se commendaret, haberes profecto neminem. At vero, si vnquam, iam dubito vera esse, quae de eloquentia pectoris pronuntiauerit Rhetor. Certe gaudeo, me habere, quem Romano opponere possim, popularem meum. Est apud LESSINGIVM, vt scis DVLCISSIME rerum, saepius proferri animi sensa non posse, quia minus impletum sit pectus. Ita tu velim de me iam statuas; ita certe me esse affectum sentio. Quid igitur? Satius est silere, quam multa dicere. Melius nihil agere, quam prauum. Eruditionem TVAM, summam diligentiam, ingenii acumen, pectus purum atque integrum, morumque integritatem TVAM efferendo, modestiam TVAM laederem. Atqui si TV adhuc de meo in TE amore, quocum contubernium sanctissimum et suauissimum coluisti, dubitare potes; irrita sunt verba; sin minus; superflua. Quocirca sis licet felix vbicunq; maus et viue memor, Amice, nostri. De me autem persuadeas tibi, me mihi ipsi diutius placere non posse, quam TE amem. Valeas atque mihi faueas.

Dab. Halae Salicae, d. vi. Iul. MDCCLXVIII.



71CA





10

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBORVM SIMILITVDINE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
P R A E

PROECTORE FRIDE
D. ANDREA EL

SACRI ROMANI
POTENTISSIMI PRVSSIAE I
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NAT
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRA
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTI
ET MONSPE

PRO GRADV

SVMMSIQVE IN MEDICINA
DOCTORALIBVS R

D. VIII. IVL. AN

PVBlice

AVC

CONRADVS H

FRISO - OI

HALAE A

S T A N N O

